

vitia ingredimur, moneamur hac unctione thletas nos præstare et reges, qui sibi et suis passionibus imperare queant. Scimus enim in veteri lege reges oleo fuisse inunctos, idque adhuc fieri in nova. Ejus rei nos admonet nomen Christiani, quod ab unctione et Christo rege nostro acceptum gerimus, qui: *Fecit nos regnum*, teste Joanne, Apoc. 1. id est, reges: « Qui prælati cunctis motibus carnis modo luxuriæ appetitum frænant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt, » inquit S. Greg. I. XXVI. mor. c. XXI.

Tertio, ut inter mundi laqueos et sordes studeamus animam servare illæsam ab omni labe peccati. Oleum enim a rubigine, balsamum a corruptione res conservant. Ac propterea recte et consulte suscipitur et confertur hoc sacramentum, cum incipiunt homines sapere et ingredi bivium litteræ Pythagoricæ, bonum a malo, virtutem a vitio dignoscere.

III. Frons perungitur in modum crucis. Primo, ut Christianus confirmetur ad palam confitendum Christum contra omnes adversarios, tamquam miles ad pugnandum, ut ait S. Chrysostomus, ho. V. op. imperf. et Sanctus Augustinus, serm. XLVII. de verb. Dom. Eodem recidit quod Concilium Florentinum ait: « Ideo in fronte, ubi verecundia est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus quæ Judæis scandalum, gentibus autem stultitia fuit. » Quod si improbi interdum eo impudentiæ deveniunt, ut nullo afficiantur pudore dum peccata sua perpetrant, imo quandoque: *Peccatum suum quasi Sodomæ prædicaverunt nec absconderunt*, Isa. III. pudere debet ingenios Christi milites fidem suam aperte fateri et bona opera facere? Ad hoc vero roborat eos Deus in hoc sacramento, juxta id Ezech. III. *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum*, apud quos habitas.

Secundo, ut cum alacritate currat viam mandatorum ob gratiæ abundantiam, ut ait S. August. de catech. rud. cap. XXIII. Solebant enim olim, et solent adhuc Romæ cursores ad cursum destinati, signari sigillo in fronte. Vita autem Christiani, cursus quidam est teste apostolo dicente: *Sic currite ut comprehendatis*, 1. Cor. IX.

Tertio, ut hoc quasi signaculo Dominico (ita appeilat S. Cyprianus, ep. LXXIII. ad Jubaianum) sciamus, nos esse milites Christi, nec posse sine maxima Dei injuria ab ipso transfugere ad partes diaboli: aut arma ejus de fronte dejicere ac dæmonis arma substituere; id quod impium

Julianum apostatam facere conatum legimus, abluendo et abradendo sacram unctionem, qua Christo consignatus olim fuerat. Hinc in ordine Romano die Jovis sancto forma crucis vocatur: *Signum frontis et sacri titulus bellatoris, ut signati chrismate sancto, signiferi esse mereamur caelestes*. De eodem Constantinus Magnus, in edict. sui ipsius confirmationem referens: « Levatoque, inquit, me de fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Spiritus sancti consignationem adhibuit beati chrismatis unctione et vexillum crucis in mea fronte linivit. »

IV. Episcopus manum capiti confirmandi imponit, unde ab antiquo sacramentum hoc manus impositio vocata, ut patet, Actor. VIII. *Imponebant illis manus, etc.* quod fit eo ipso, quo consignatur frons. Designat ergo hæc impositio manus, primo, divinam benevolentiam, qua confirmatus novo et singulari modo a Deo tangitur, sanctificatur et benedicitur. Ita legitur, Marci X. Christus imposuisse manus parvulis, et benedixisse, ac complexatus eos esse, demonstrans eis singularem amorem et favorem suum.

Secundo, peculiarem protectionem et tutelam Spiritus sancti, qui in eo sacramento fit quasi tutor confirmati, ut docet Melchisedes papa in ep. ad episcopos Hispaniæ scribens: *Numquid prodest si quisquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi providere studeat et tutorem? Itaque Paraclitus regeneratis in Christo, custos et consolator et tutor est*. Committitur confirmandus alto quasi mari, ut contra occurrentes tentationum fluctus dimicet, hinc illum Spiritus sanctus manu sua peculiaris assistentiæ comitari vult. Unde videtur ei quodammodo dicere episcopus: Ne dubita, fili, profiteri Christum et pro ejus fide omnia adversa tolerare; quia manus Domini tecum est. Quamobrem Spiritus sanctus sæpe est invocandus a confirmato, velut ductor ejus. Dicat cum Ecclesia: *Ductore sic te prævio vitemus omne noxium: et cum Davide, Psal. CXLII. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*.

V. Ferit episcopus confirmatum levi ictu, quasi alapa. Primo, non tam ut confirmatus memoret acceptæ confirmationis, quam ut paratus sit pro Christo quævis adversa ferre, imo percussus in maxilla una, porrigere et alteram, si ita res ferat. Talis enim instituitur ibi miles Christi, cujus pugna non in cædendo, sed in sustinendo consistat; quemadmodum et apostoli post acceptum Spiritum sanctum cæsi a magistratu: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, Act. V. Sæculares domini cum forte famulis sui jus gladii ferendi dare volunt, alapam eis impingunt, cum hoc monito: Ne tale quid in posterum ab aliis ferant, sed gladio se defendant.

Hæc est mundi confirmatio, stulta et insana. Non ita confirmat Christus, ad patientiam, ad injuriarum tolerantiam et liberalem remissionem, ad porrectionem alterius maxillæ hortatur. Viderint ergo qui quamvis etiam minimam injuriam ferre nequeunt, sed mox se vindicare parant, quam voto suo contraveniant.

Secundo, non ut commoditates sæculi hujus quærat et sectetur, sed potius ut tolerare omnis generis incommoditates et adversitates norit: sicut decet milites non degere in deliciis, sed humi cubare, aquam bibere, duro pane victitare, parum dormire, gravia arma ferre, etc. quasi dicat episcopus illud Domini: *Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis*, Luc. XXI. Sic ingressuri aeademiam studiosi prius divexantur verberibus et ludibriis, quo admonentur patienter ferre labores studiorum, correptiones magistrorum, injurias sociorum, derisiones, etc. Addit episcopus duo verba: *Pax tecum*, quia in patientia pax et tranquillitas nostra sita est, juxta illud Domini: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, Luc. XXI.

VI. Obligatur frons confirmati linea fasciola. Primo, ob reverentiam s. chrismatis, ne temere tangatur et abstergetur, adeoque immune habeatur a confirmato. Est enim chrisma sacris precibus et manibus episcopi consecratum.

Secundo, ut intelligat confirmatus gratiam confirmationis sedulo sibi conservandam, quo modo s. chrisma ut fronti insideat atque inhæreat firmiter fascia adstringitur. Sane apostoli in sua confirmatione confirmati fuere, ut deinceps lethaliter non delinquere possent amplius: sed hoc speciale eorum privilegium fuit, quemadmodum et confirmatio illorum fuit extraordinaria, per illapsam Spiritus sancti in specie ignis. Nos ergo ut hujus gratiæ participes efficiamur, perpetuo remigare bene operando, vigilare et orare debemus, quo in bono perseveremus.

Tertio, ut quemadmodum Christi facies velata, percussa et subsannata fuit a militibus; sic non dubitemus simile quid pro Christo ferre, si occasio requireret: *Flagella pati, Christianorum est; inferre, Cuiphæ et Pilati, dicebat S. Athanasius, ep. ad orthodoxos in persecut.* Nec mirum, quia Christianus Christi passi imitator esse debet, teste S. Petro, ep. 1. c. IV. *Christo igitur passo in carne et vos eadem cogitatione armamini*. Socrates a quodam colopho percussus, nihil amplius dixisse fertur, quam molestum esse quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. Refert Seneca, I. III. de ira, c. XI. Verum Christianus galeam hanc in capite suo nunquam non gestare debet, ut semper

armatus sit contra occurrentes passim injurias. Hujus galeæ te admonet fascia illa confirmationis.

VII. Datur ei patrinus, ut ne confirmatus sibi nimis fidat, sed spirituali adhuc ductore se indigere sciat. Sic tyroni et imperito militi adjungitur veteranus a latere ejus ut per illum instruatur. Unde S. Dionysius, I. de cœl. hierar. c. ult. ait, visum esse apostolis ut ejusmodi pueri tradantur per manus sacerdotis talibus patrinis, ut reliquum sub ipsis velut sub pædagogis agerent sicut sub divino patre. Tametsi vero ipse Spiritus sanctus confirmati ductor et prædagogus est, munere tamen suo per causas secundas fungitur. Et sicut populus Israeliticus non solum angelum præeuntem, sed etiam ducem Moysen habuit per desertum, ita nobis etiam necessarii sunt plures pædagogi. Officium autem talium patrinorum est procurare salutem clientum suorum, eos instruere, arguere, confirmare in adversitatibus et periculis: id quod certe antiquitus sedulo præstabant. Parentes naturales ut plurimum nimis indulgentes liberis suis; ideo alieni instructores adjungendi eis erant, qui etiam spiritualem cognationem contrahunt cum confirmato, ut sic jus acquirant in educandos et corrigendos clientes suos. Dolendum vero est, quod hoc nostro ævo tam parum ad hoc attendatur, et patrinus confirmati mera sit cæremonia. Sane si patrini parentum spiritualium officium assumerent, non videremus passim tam perditos et præfractos tamque immorigeratos liberos.

Ad extremum colligamus hinc, auditores, quanta res sit Christianum esse; siquidem videmus Christianos tot sacris initiari, et toties nomen Domini super eos invocari ut merito exclamare debeamus cum Jeremia, cap. XIV. *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos*.

CONCIO VII.

QUATUOR FINES SACRIFICII MISSÆ.

I. Est sacrificium laudis, respondens hac ex parte holocausto. — II. Est sacrificium gratiarum actionis, respondens hac ex parte hostiæ pacificæ, quæ erat gratiarum actio. — III. Est sacrificium propitiatorium, respondens hac ex parte hostiæ pro peccato. — IV. Est sacrificium impetratorium, respondens quoad hoc hostiæ pacificæ quæ impetratoria erat.

THEMA.

Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet
Joann. X.

Beati ac felices illi, quotquot in Ecclesiam

Christi per fidem ejus ingressi sunt: miseri contra et infortunati, quotquot hinc abducti in alienum ovile dolo hæresiarcharum abrepti sunt. Nam ut cætera taceam, qui in vera et catholica Christi Ecclesia sunt, illi pascua inveniunt eaque varia et uberrima, sacramentorum, sacrificii missæ, ss. cæremoniarum, concionum, librorum, exemplorum, etc. juxta prophetiam Ezechielis, c. XXXIV. *Pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas.* Qui vero in hoc ovili non sunt, pascuis his destituti sunt. Pauca illis eaque inania sacramenta, non missæ sacrificium, nisi forte pauculæ ejus cæremoniæ, non parum Dei verbum, non libri incorrupti, nulla virtutum exempla publica, etc. Ut merito de eis dictum credamus quod scribit Joël, c. 1. *Mugierunt greges armenti, quia non est pascua eis, sed et greges pecorum desperierunt.* Porro inter ea pascua, quibus gaudet Ecclesia catholica non tenet infimum locum missæ sacrificium, in quo velut uberrimo pascuo sacerdos non solum se, sed omnem insuper gregem pascit. Id vero cujusmodi pascuum sit, nunc investigabimus.

Quemadmodum sole oriente stellæ se abscondunt, quoniam earum lumen a sole mutuum, et in ipso eminenter contentum est: ita sacrificio novæ legis incipiente, desierunt sacrificia veteris legis, quia hoc unicum eminenter in se continet omnes illas vires et excellentias, quæ in antiquis illis divisæ erant, et ab hoc nostro mutuatae, ut testatur Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 1. Erant autem sacrificia veteris legis, vel holocaustum, vel hostia pro peccato, vel hostia pacifica, et hæc duplex. Una in gratiarum actionem pro beneficio accepto, altera ad impetrandum aliquod beneficium. Omnia hæc in missa habemus.

I. Missa est sacrificium laudis, quo Deum summum et absolutum Dominum nostrum esse protestamur atque ut talem veneramur. Sic enim subditi pendunt regi suo tributum in signum subjectionis suæ. Et ideo nulla erat gens, quæ non putaret Deum suum munere aliquo colendum, utpote a quo haberet omnia, et cui omnimode subjecta esset. Ita David, Ps. CXV. aiebat: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ:* servus videlicet ratione creationis, et ratione redemptionis. Subdit ergo: *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Quo autem meliore modo Deum nostrum laudare, colere et venerari possumus, quam si ei offeramus, quod ipsi est omnium acceptissimum, Filium ejus? Ipse enim primo, ita est Dei Filius, ut sit etiam noster. Certe si qua respublica illum regis ad se divertentem honorificentissime tractaret et cum summo honore, júbilo et

pompa deduceret ad patrem, nonne hoc ipso summo opere honoraret ejus patrem? Hoc nos in missa facimus, in qua totum quod agitur et dicitur, tendit ad honorem et gloriam majestatis divinæ amplificandam. Oves, boves et alia munera non sunt condigna pretia nostrorum peccatorum: solus Christus est, qui pro nobis oblatum tollit peccata nostra. Deinde, per hanc hostiam abolita sunt idola et idolothya, profana gentium sacrificia, quibus cultus Deo debitus, diabolo impendebatur: non potest igitur non Deo esse grata, cujus honorem vindicavit et restituit. Tertio, per hanc Christi victimam profitemur opus redemptionis nostræ, in quo eluxit mira Dei bonitas, sapientia, justitia, potentia, quomodo igitur non erit accepta? Quarto, per hanc exercemus fidem, spem, charitatem, religionem, et alias virtutes.

Hac ratione missa respondet holocausto veteris legis, quod erat sacrificium Deo oblatum, pure ad laudem Dei et honorem supremæ majestatis atque amorem summæ bonitatis ejus, tametsi ab eo nihil expectarem gratiæ, ut ait Philo. Unde in eo tota victimâ cremabatur ad indicandum, primo, summum Dei dominium in res omnes; secundo, omnia ad eum referenda tamquam ad ultimum finem; tertio, nos totos esse Dei Deoque offerendos. Ejusmodi vero holocaustum est Christus, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, Eph. V.

II. Est sacrificium gratiarum actionis. Non obligamur Deo solum ratione subjectionis, qua ratione Judæi pendebant tributum Cæsari; verum etiam ratione plurimorum beneficiorum, creationis, conservationis, gubernationis, redemptionis, etc. quæ tot et tanta sunt, ut si Deo omnia nostra rependamus, perinde ac si nihil sit. Ut ergo haberemus, quo dignas Deo gratias perpetuo ageremus pro ingentibus et perpetuis ejus in nos beneficiis, sacrificium hoc instituit, in hunc finem congruentissimum. Tria enim sunt officia gratitudinis, agnoscere beneficium, laudare idipsum, commemorare, prædicare, denique compensare alio munere vel obsequio. Atqui hæc in oblatione sacrificii missæ exactissime fiunt. Testamur enim ipsum esse auctorem redemptionis et salutis nostræ, ipsum misisse Filium in carnem ad nos salvandos et bonis omnibus cumulandos; deinde, mortem Filii in eo sacrificio commemoramus et veluti ob oculos ponimus, dum corpus et sanguis seorsim sub specie panis et vini tamquam hostiæ occisæ et immolatæ, vi verborum consecrationis (quæ verba instar gladii sunt hostiam mactantis et dividens) constituitur. Atque ita satisficit Christi voluntati: *Hoc facite in meam*

commemorationem (mortis videlicet et crucis) ut explicat apostolus, 1. Cor. XI. Denique, in eo præstantissimum quod offerri Deo potest, offertur pro omnibus ejus beneficiis, Filius nimirum. Huc alluisse videtur David, Psal. CV. dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo:* et infra: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Apertius S. Augustinus, l. 1. contra adversarios legis et prophet. c. XVIII. «Unde Deo, inquit, majores gratiæ sunt agenda, quam per Christum Dominum nostrum, quod faciunt fideles in Ecclesiæ sacrificio?» Similiter S. Irenæus, l. IV. contra hæres. c. XXXII. dicit: «Divinum hoc sacrificium a Christo institutum ideo, ne nos ingratisimus erga Deum.»

Hac ex parte respondet hoc sacrificium hostiæ pacificæ veteris testamenti, quatenus ea offerebatur in gratiarum actionem pro beneficio aut prosperitate obtenta. Hostia pacifica in tres partes dividebatur: una Deo adolebatur, altera cedebat sacerdoti sacrificanti, tertia cedebat laicis eam offerentibus. Similiter s. hostia in missa tres in partes dividitur, una immittitur in calicem et quasi Deo adoletur, duas pro se et populo retinet in manibus et consumit.

III. Est sacrificium propitiatorium ad veniam peccatorum impetrandam tum vivis, tum defunctis, et ad iram divinam placandam, flagellaque mundo impendentia amolienda. Et quidem quod ad culpam attinet, delet eam non immediate et sine peccatoris immutatione, sed mediante contritione, quam impetrare potest, ut docet Conc. Trident. sess. XXII. cap. II. «Hujus, inquit, oblatione placatus Dominus, gratiam et donum penitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, una enim eademque est hostia, etc.» Penam vero delet immediate, licet nulla in eo, pro quo offertur fiat mutatio; applicat enim satisfactionem Christi, qua debitum illud solvatur et compensetur. Flagella denique temporalia avertit; si enim id precibus sanctorum et piis operibus obtineri potest, quanto magis hoc sacrificio? Si in cruenta istius hostiæ oblatione Deus mundo reconciliatus est, et penam æternam dimisit, cur non ob eandem sæpius oblata mundo jam reconciliato condonabit penas temporales? Gen. XXII. et XXXIII. legimus qua arte placarit Jacob fratrem sibi infensum: *Placabo illum muneribus,* inquit: quare instituit processionem sat longam, præmittendo greges ipsi donandos, deinde uxores et filios suos, eorumque ultimum Joseph: hacque arte devinxit sibi fratrem ut mutuo amplexu in lacrymas solverentur. Non est dubitandum, quin etiam

nos placare possimus Deum licet nobis iratum, per missæ sacrificium. In eo enim præmittuntur orationes, lectiones, professiones, gratiarum actiones, suffragia et memoriæ sanctorum, quos sequitur Christus Dei Filius, nobis datus, nobis datus, Isa. IX. Qui de capite periclitabatur, captivi objeere principibus liberos suos cum uxore ad mitigandam eorum iram et justitiæ severitatem: nos in sacra missa objicimus Dei conspectui, ipsum ejus Filium. Veteris legis sacrificia (uti et sacrificium Abelis et Abraham) ostendit Deus accepta sibi fuisse, igne de celo misso super altare ad devorandam victimam, uti Levit. IX. III. Reg. XVIII. II. Par. VII. sacrificium autem missæ gratum sibi esse ostendit pluribus miraculis. S. Euthymio abbati et S. Chrysostomo celebranti angeli assistere visi sunt. De illo testatur Cyrillus, de hoc S. Nilus, in vita. S. Basilius candidissimo lumine et angelis circumdatus et ipse sacrificare visus est. Testis Amphilocheus, in vita. Capiti S. Martini episcopi celebrantis globus igneus de celo lapsus immisit, teste Severo, in ejus vita. S. Plegilus presbyter sacrificans vidit Christum specie pueri in hostia consecrata, offerentem se illi ad amplexum, et oscula, teste Paschasio Corbeiensis, l. de corp. et sang. Dom. c. XI. Idem de S. Altonæ abbate S. Benedicti habet traditio monasterii Altonis et vita manuscripta ibid. asservata. Præterea alia plurima, veluti columbas, quæ cœlitus demissæ aliquot pontificibus adfuere celebrantibus, erantque typus Spiritus sancti, uti feria hesternâ diximus.

Ex hac parte respondet missæ hostia pro peccato, Levit. III. cui imponebant manus offerentes, et hostiæ mactatæ sanguine tangebant cornua altaris, reliquum fundebant ab basin ejus. Ita enim Christo imposuit Deus iniquitates omnium nostrum, quemadmodum et in missa ante consecrationem ponit sacerdos manus super oblata, Christus etiam in cruce sanguine suo tinxit utrumque cornu crucis, vulneribus manuum, reliquum sanguinem effudit ad pedem crucis.

IV. Est sacrificium impetratorium gratiæ divinæ, velut auxilium protectionis, excitationis, directionis ad perseverandum, et aliorum tum corporalium tum spiritualium beneficiorum ad salutem opportunorum, uti ad pacem, victoriam, frugum abundantiam, sanitatem et negotiorum felicem exitum, et similia. Quemadmodum enim Christus in cœlo orando pro nobis et vulnera sua Patri ostendendo impetrat nobis gratiam ad omnia: ita cum ejusdem passio representatur Patri in missæ sacrificio, impetrat nobis gratiam et alia beneficia. Si enim Hæbræi orando per Abraham, Isaac et Jacob, patres suos, Dei

amicos, efficacissime orabant; cur non magis nos cum reipsa proponimus ei Filium ejus dilectissimum? Audiamus exemplum. « Vir tributarius (ita scribit D. Augustinus, l. XXII. de civ. c. VIII.) Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium et servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente presbyteros, ut aliquis illorum eo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit tibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit. » Recentius est quod scribit Thom. Bozius, l. V. de signis eccl. c. II. de triginta ægris Japonensibus, qui anno Domini 1583. in eadem domo provincie Funai decumbebant, et sacrificium missæ celebrari in eo quo morabantur loco, supplices petiverunt. Concessum illis est: sacrificio peracto repentes omnes electo sani surrexerunt. Mirum, dicit aliquis, cur inter nos talia non experiamur. Sed respondeo, causam esse defectum partim fidei, partim fervoris et venerationis erga s. missam. Prout autem cibus sapit, ita et nutrit.

Quare cum missam audis, cogita primo, cujus sis, *mancipium scilicet et servus Dei*, summe obligatus ad eum laudandum, colendum, venerandum: secundo, qualis tibi Deus tuus fuerit, quam in te profusus, liberalis, benignus, etc. tertio, qualis tu Deo fueris, quam ingratus, inobediens, hostis, etc. denique, quid sis sine Deo, terra nimirum arida et sterilis, sicut uter in pruina, omnibus bonis destitutus, etc. ac proinde summe indigens divinatorum auxiliorum.

Ex hac parte respondet missæ hostia pacifica, quatenus ea adhibebatur ad impetrandam aliquam prosperitatem vel gratiam. Habemus igitur unam quidem reapse in Ecclesia victimam, virtute tamen et efficacia multiplicem, quæ omnes veteris legis, imo et gentilium omnium hostias eminenter in se continet, adeoque pingua pascua; quibus impinguari et dilatari spiritu, si velimus, possumus: quod nobis donet Deus.

CONCIO VIII.

PROBANTUR INDULGENTIÆ TEMPORE JUBILÆI.

I. Ex auctoritate Ecclesiæ. — II. Ex Scriptura. — III. Ex ratione et congruentia.

THEMA.

Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. Joann. X.

Non unam ob causam pentecostes festum jubilaio assimilari, ejusque typus esse videtur.

Imprimis enim pentecoste, festum remissionis est ob numerum quinquagenarium, qui teste S. Hieronymo sub initium l. II. in Isaiam, numerus remissionis est; (unde jubilaio Judæorum etiam quinquagesimo quoque anno celebrari a Deo præceptum, uti pentecoste nostrum quinquagesimo die post pascha celebratur) similiter jubilaio nostrum tempus remissionis est. Deinde, in pentecostes festo, evangelium orbi promulgari cœptum in remissionem peccatorum ab apostolis, adeoque bonum nuntium: similiter in jubilaio promulgatur et prædicatur omnibus fidelibus optatissimum nuntium indulgentiarum in remissionem peccatorum. In festo pentecostes abrogata est lex vetus et jugum importabile ablatum, fundata est lex nova: in jubilaio nostro abrogantur veteres pœnæ, contracta olim debita, quæ ut onus grave multorum humeros gravabant. In festo pentecostes Spiritus sanctus in Christianos delapsus est et innumera gratiarum dona super eos effudit: in jubilaio nostro illabitur idem Spiritus in plurimorum fidelium animos quos peracta pœnitentia maximis replet donis. Utinam igitur hodie in nostrum omnium animos illabatur idem Spiritus, qui deleta in nobis omni culpa et pœna, omnimodam nobis afferat et infantilem innocentiam. Sed vereor, ne sint aliquid, ad instar illorum discipulorum, Act. XIX. qui interrogati a Paulo: *Si Spiritum sanctum accepistis*, responderunt: *Sed neque si Spiritus sanctus est scimus*. Vereor, inquam, ne sint aliqui, qui neque *si indulgentia est*, sciunt. Probemus igitur.

I. Ex auctoritate Ecclesiæ ejusque consensu universali. Imprimis Alexander papa III. ante annos 450. scribit ad archiepiscopum Cantuar. de remissionibus, quæ fieri solent in dedicationibus ecclesiarum et conferentibus ad ædificationem pontium, c. Quod autem, de pœnit. et remission. Ante annos 410. circiter, Innocentius III. in Concilio Lateranensi universali formam concedendi indulgentias præscribit, et indiscretas, prohibet, c. Cum ex eo. eod. tit. cap. LXII. dicti Conc. Later. Innocentius IV. ante annos 390. circiter, in Concilio etiam universal. Lugdunensi idem statutum prædicti Concilii confirmat et renovat. Ubi vides indulgentiarum usum ab universali Ecclesia receptum, et non de novo inventum (quia de iis non quasi de re nova loquuntur, sed de consueta, certa et antiqua), imo etiam cum prius nimis darentur, caveri ne superflue et sine causa dentur. Et quidem ab hoc tempore, quadringentis scilicet annis et ultra constat in usu fuisse indulgentias. Sed requirunt hæretici, ut ab apostolorum tempore ad nos usque probemus usum indulgentiarum. Quibus respondeo primo, mirandum non

esse, si antiquis temporibus non est facta specialiter mentio indulgentiarum, tum quia nulla circa eas invidit controversia. Primo enim, qui indulgentias contradixit legitur fuisse Joannes Wiclef in Bohemia ante annos 280. cujus error paulo post in Concilio Constant. generali damnatus est. Quem secutus est Lutherus, damnatum Wiclefi errorem resuscitans, quod superbus et ambitiosus homo ad indulgentiarum promulgationem assumptus non esset, qui deinde in infinitos alios errores lapsus, et ob hunc errorem a Leone X. damnatus est. Tum quia antiquis temporibus maximus erat pœnitentiarum rigor, quo vigente utile non fuisset indulgentias cumulatim et facile distribuere, ne rigor ille deficeret (quamquam et illæ lapsorum pœnitentiæ sæpius ab episcopis laxari vel remitti consueverunt, teste Baronio, ann. 57.) nunc autem crescente hominum imbecillitate et relaxata severitate, multo ampliores sunt. Respondeo secundo, satis etiam ostendi posse homini non protervo, viguisse semper usum indulgentiarum in Ecclesia. Imprimis enim apostolum Paulum indulgentiam dedisse, seu impositam pœnam remisisse incestuoso cuidam, patet ex II. Cor. II. ut infra videmus: S. Silvestrum papam ante annos 1300. indulgentias concessisse visitantibus sacellum s. crucis in Jerusalem Romæ a S. Helena extractum: S. Gregorium M. ante annos 1000. stationes Romanas additis indulgentiis instituisse refert S. Thomas et alii, in IV. d. XX. vel certe in ordinem redegit, ut confirmat Onuphrius Panninus, in tract. suo de stationibus: Paschalem I. qui ante annos 800. sedit, indulgentiam concessisse templo S. Praxedis ad columnam Christi, liberationem unius animæ e purgatorio: ubi etiam ipse post ss. missas animam sui nepotis liberavit et in cœlum ferre vidit: quam indulgentiam confirmasse undecim sequentes pontifices, probant antiqua monumenta illius templi: Leo papa III. ad instantiam Caroli M. dedit indulgentias multis templis ante annos 800. post hunc Sergius junior, Urbanus II. et IV. et alii varias concessisse indulgentias referuntur in catechismo hist. c. V. tit. XLIII. et apud Baron. Respondeo tertio, non esse necessarium ad probandum aliquod fidei dogma ut ostendatur semper in Ecclesia creditum fuisse ab apostolis usque ad nos; sed sufficere, ut aliquando tota Ecclesia id firma fide decreverit et tenuerit, nec unquam contradixerit: sicuti ostensum est, antiquam Ecclesiam, non modo non contradixisse, sed potius concessisse, licet non tam frequenter uteretur indulgentiis ob prædictas causas. Ratio est, quia recens et nodierna Ecclesia eandem promissionem habet, quam prima illa: *Portæ inferi non prævale-*

bunt adversus eam. Hinc enim sequitur, Ecclesiam universalem nec uno quidem die errare aut falsum aliquid credere posse: atqui ante trecentos et quadringentos annos Ecclesiam universalem in Conciliis universilibus credidisse et recepisse, et contra hæreticos decrevisse indulgentias, probatum est: igitur aut tunc Ecclesia tota erravit et periit, quod est contra promissionem Christi, aut recte credidit.

II. Ex Scriptura, Matth. XVI. ait Christus Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Clavis cœlorum aliud non est, quam potestas summa et perfecta gubernandi, absolvendi, ligandi, et tollendi omne impedimentum ingressus in cœlum. Duplex autem id impedimentum, culpa et pœna; ut enim aliquis sine omni culpa moriatur; si tamen pro dimissis nondum satisfecit, retinebitur in purgatorio. Perfecta potestas est, id est, solvendi ab omni eo quod impedit ingressum regni cœlorum: igitur tam a pœna, quam a culpa. Unde, *claves*, inquit Dominus, non clavem: et mox: *Quodcumque ligaveris*: (ligat autem, non solum culpa, sed etiam pœna) nulla vero prorsus ratio movet, cur tam generalem potestatis concessionem restringamus ad solam culpam. Et quomodo potestas illa perfecta esset quomodo ovibus Christi sufficienter provisum, si potestas Petro data non se extendere ad pœnam? Hujus rei figura erat, quod (uti Ruth IV. et Deut. XXV. habetur) viro sine liberis defuncto, jubebatur frater defuncti accipere uxorem ejus et filios generare defuncto fratri, cujus nomen acciperent, non vero generantis: vicissim vero frater defuncti, omnia ejus bona caperet, quibus filios susceptos aleret, quæque inter eos divideret. Christus hic vir et sponsus Ecclesiæ est, defunctus sine liberis, id est, paucis adhuc conversis. Apostoli vero fratres Christi erant, quemadmodum eos vocat post resurrectionem suam: *Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, etc.* Joan. XX. quasi per hoc volens eos commonere officii, sui et legis illius Deut. XXV. sancitæ. Fecerunt hoc apostoli, unde Paulus I. Cor. IV. ait: *In Christo Jesu per evangelium ego vos genui*. Cæterum nomen Christi accipiebant fideles uti et modo, non eorum a quibus in Christo geniti sunt; Christiani enim dicimur, non Petrini aut Paulini. Unde idem apostolus carpit eos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego Apollo, etc.* Oportuit vero ut bona defuncti, Christi scilicet, caperent ejus fratres, Petrus et apostoli, quibus providere susceptis a se filiis possent, eaque illis distribuere. Et hæc sunt Christi infinita merita, quæ nobis per indulgentias concedere, et ita nos tam a pœna quam a culpa expedire

mo nisi per Christi fidem ingreditur et baptismum. Per unum ostium ingredi in arcam Noe debuerunt quotquot salutem obtinuerunt. Idem de ostio Ecclesiae sentiendum. Nam imprimis: *Sine fide impossibile est placere Deo*, ait apost. ad Hebr. XI. et Christus: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI. quia, ut ait Eusebius Emisenus, ho. II, de symb. « Fides est origo iustitiae, initium sanctitatis, principium devotionis et fundamentum salutis aeternae. Quicumque hanc deserit, ut proprii cerebri male sanum ductum sequatur: qui absque hac divina mysteria sua solummodo sapientia penetraturum praesumit, similis est illi qui omisso fundamento edificare, aut praeterito ostio per tectum intrare nititur, aut qui in tenebris ambulans in praecipitium se agit oclusis voluntarie oculis, qui ei ducatum praestare potuissent. Christus autem veniens in hunc mundum, ut errantes viam salutis doceret, fidem nobis dedit, qua Deum incognitum hactenus cognoscentes inquireremus; et, invento, fidem haberemus, fidem autem habentes ipsum tandem obtineremus. » Baptismus porro Christi et ipse Ecclesiae ostium est, similitudine Jordani, ut scribit Origenes, homil. IV. et V. in Jos. quem duce Josue transire debuit, quisquis terram promissionis voluit intrare. Aquae Jordanis non suapte natura, sed divina vi constiterunt seque diviserunt: sic baptismus non naturali, sed supernaturali virtute abluit peccata. Divisi Jordanis aquae inferiores defluerunt in mare mortuum: superiores minime, sed steterunt. Illae baptismum Joannis, qui gratiam et salutem non conferebat, hae baptismum Christi gratiam conferentem denotant. Per transitum Jordanis in terram quidem optatam, lacte et melle manantem deventum est; sed in qua tamen adhuc contra varios hostes depugnandum erat: ita per baptismum ingredimur quidem in Ecclesiam Christi, sed militantem cum carne, mundo, diabolo, nondum triumphantem.

Tertio, ostium est gratiae. Nemo enim ad Dei gratiam venit, nisi per Christi merita, quemadmodum ad Assuerum nemo venire poterat, nisi prius oscularetur ejus sceptrum, Esth. IV. Sceptrum Christi crux est, huic acceptam feramus gratiam, quam adepti sumus; non osculemur manum nostram, quasi nos eam nobis paraverimus, juxta id Job XXXI. *Si osculatus sum manum meam ore meo!* hoc est, si laudavi opera mea, vel tribui illis, quod Deo tribuendum.

Quarto, ostium est gloriae caelestis; quicumque ad eam ingreditur, per Christi merita ingreditur. Unicus ipse mediator noster est, quia unicus ipse redemit nos et caelum nobis promeruit. Unde subdit Dominus: *Per me si quis introierit,*

salvabitur, et ingreditur et egredietur, et pascua inveniet.

Dices: Ergo frustra invocamus sanctos, siquidem per solum Christum veluti per ostium ingredi caelum oportet. Respondeo Christum solum esse ostium, sanctos vero esse quasi malleolos ostio illi appensos. Ut ergo pulsu malleoli obtinemus ut ostium nobis pateat; ita sanctorum, quos invocamus, interventu Christus excitatur ut caeli viam nobis pandat. Sola Christi merita caelum nobis pandunt, sed ut nobis pandant, sancti intercedunt.

III. Quis ostiarius? Respondet Theophylactus, esse Spiritum sanctum, qui custodit Ecclesiam ejusque fores obsidet, dirigens pontificem caeterosque episcopos, ut legitime eligantur et eligant pastores. Hic est qui pastores in Ecclesiam admittere debet. Ancilla vero ostiaria, quae Petrum admisit, caro est, ambitio vel avaritia, quae admissos adigit ut Christum negent ac pernegent.

Porro quomodo Spiritus sanctus velut ostiarius custodiat primam sedem, ex plurimis apparet. Fecit enim ut hactenus invicta semper staret contra omnes tyrannorum et haeresum incursus: fecit ut in rebus fidei nullo unquam tempore erraret: fecit ut nemo pontificum in haeresim laboraret: fecit ut sedes illa diu non vacaret, sed continua pontificum serie cohonestaretur: fecit ut etiam praesidentibus interdum malis pontificibus non everteretur, aut a fidelibus despiceretur: fecit ut a regibus et principibus christianis summa coleretur reverentia: fecit ut opibus et potentia stabiliretur ad sui defensionem et dignitatem conservandam: fecit ut multi sancti in ea praesiderent; et alias communiter viri omni sapientia, doctrina et virtute excultissimi.

IV. Quinam illi fures et latrones de quibus Dominus: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones?* Respondeo, restringendam Domini sententiam ad duplicem pastorum sortem, de quibus supra. Primo, ad eos, qui per ostium non intrant seu legitime vocati non sunt: his enim paulo ante dixerat Dominus: *Qui non intrat per ostium, etc. ille fur est et latro.* Manet ergo in his terminis Christus et ait: *Omnes quotquot venerunt* (tali scilicet modo, per foramen, non per ostium) *fures sunt et latrones*, uti Jason, Menelaus, Lysimachus, Alcimus, quibus junge Herodem, qui ad regnum non per ostium, sed aliunde per Caesaris gratiam intravit; item Annam, Caipham et Romanos praesides.

Secundo, ad eos, qui licet essent legitimi pastores, improbi tamen erant, et Christum non tantum non imitabantur aut recipiebant, sed potius oves suas ab eo avertebant et conspirabant in eos, qui Christum confiterentur, ut ex-

tra synagogam fierent: praeterea quæstum tantum et gloriam suam quærebant, quales erant tunc Pharisei, quos hic taxare videtur Dominus. Quamquam vero alibi hos dicebat audiendos esse, intellexit tamen, cum recte docerent et Deo non contrairent. Quoad hoc enim subit Dominus hic: *Et non audierunt eos oves*, uti caecus ille a nativitate, alique quotquot Christo crediderunt.

V. Quid illud *ingredietur et egredietur*? Resp. primo, juxta phrasim Hebraeam idem est, quod regere et agere cum libertate et securitate, necnon felici successu; quemadmodum 1. Reg. XVIII. dicitur de Davide: *Egrediebatur et intrabat in conspectu populi*. Significabat ergo dandam legitimo pastori gratiam, ut possit recte operari et suos rite pascere, juxta id Ps. X. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum*, id est, totam vitam tuam omnesque actiones tuas. Et hoc est quod a Deo petiit Salomon, II. Par. 1. *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum digne judicare?*

Secundo, alii mystice exponunt. D. Augustinus: « Ingredietur per ostium in Ecclesiam et egredietur inde in vitam aeternam: » D. Greg. ho. XIII. in Ezech. « Ingredietur ad fidem, egredietur ad speciem: » rursus August. « Ingredietur ad internam meditationem, egredietur ad externam operationem: » auctor imperfecti: « Ingredietur, dum curam habebit interioris hominis, egredietur, dum mortificabit membra externa: » D. Thomas: « Ingredietur intra Ecclesiam ad fideles et egredietur extra Ecclesiam ad infideles: » auctor. 1. de spiritu et anima: « Ingredietur ad divinitatem meam, egredietur ad humanitatem meam: » rursus Greg. 1. Reg. c. XVI. « Intus habebit pascua contemplationis, foris pascua boni operis. »

VI. Quenam ovium Christi pascua? Resp. primo, esse doctrinam evangelicam, aliosque ss. libros a patribus et Ecclesiae doctoribus

conscriptos, quorum lectione pascimur, recreamur, et adolescimus.

Secundo, esse sacramenta, praesertim s. eucharistiam, in qua propria carne et sanguine Christus oves suas pascit, sacrum item missae sacrificium.

Tertio, esse virtutes et virtutum exempla, quæ cernuntur in Ecclesia, optimum odorem redolentia, uti in sanctis innumerabilibus patet.

Porro pascua ita inficere et pervertere solent haeresiarchæ, ut alibi ostendimus, a quibus nos abstinemus; quemadmodum pecora abstinere ab infectis pascuis.

VII. Quid illud: *Ut vitam habeant et abundantius habeant?* Resp. multiplicem hujus loci interpretationem afferri hic a Barradio. Prima est, Augustini et aliorum: *Veni ut oves meae vitam habeant in hoc saeculo per fidem vivam, et abundantius copiosiusque habeant vitam in caelo aeternam.*

Secunda: *Veni ut vitam habeant gratiaeque justificationem, et abundantius eandem habeant per quotidianos virtutum gratiaeque progressus.*

Tertia: *Veni ut vitam habeant gratiae et abundantius habeant, quam habuerunt veteris testamenti oves, quoniam abundantius gratiam largitur nunc Deus in novo, quam in veteri testamento.*

Quarta, caeteris verisimilior: *Veni ut vitam habeant meae oves, et abundantius habeant, hoc est, non solum vitam habeant a morte peccati in vitam revocatae, sed ut vitam habeant omnibus virtutibus et Spiritus sancti donis abundantem. Hæc fere Barrad.*

Nos ergo auditores, velut oves Christi ad veram contendamus vitam, omni honorum genere redundantem, quæramus hic virtutum, doctrinae et sacramentorum pascua, ut perveniamus ad illa aeterna; hic quæramus vitam gratiae, ut ibi fruamur vita glorix.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

SEPTEM DONA SPIRITUS SANCTI A CHRISTO EDOCTA.

Donum timoris, in apparitione facta ss. mulieribus. — II. Donum pietatis in apparitione facta Petro. — III. Donum scientiae in apparitione facta duobus pergentibus in Emmaus. — IV. Donum fortitudinis in apparitione facta januis clausis. — V. Donum consilii in apparitione facta piscanti-

TOM. III. — PARS ÆSTIVALIS.

bus. — VI. Donum intellectus, quando aperuit eis Scripturas. — VII. Donum sapientiae in apparitione ultima et ascensione.

THEMA.

Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.

Joan. X.

Vitam nobis daturus venit in hunc mundum